

acceptum Spiritus S. donum. Ea enim ipsis divinitus & immediate fuit inspirata. Erat mens & lingua eorum plectrum aut calamus ipsius Spiritus S. dantis, quod loquerentur, & loquentis in ipsis, Matth. X. 19. adeoque ducentis eos in omnem veritatem, Joh. XIV. 13. Et quomodo alias doctrinae Apostolicae sua constaret certitudo & fides indubitata, si in docendo & scribendo errassent, aut errare potuissent Sancti DEI homines. *Si semel lapsi concedantur Apostoli, non in omnem veritatem ducti fuerunt, Et si in sacro quovis libro una saltem reperitur falsitas, totius libri certitudo interit*, inquit Augustinus Epist. VIII. In vita tamen non fuerunt prorsus ἀναμάρτητοι; sed propter ingenitam Originalem corruptionem infirmitatibus & lapsibus adhuc obnoxii & interdum etiam ἀνθρώπινόν τι passi sunt, ut de duobus fratribus Matth. XX. 20. affirmat Theophylactus.

§. II. Distingvendum inter errorem Petri directe & in se consideratum, & inter eundem indirecte sive ratione consequentis scandalum aut eorum, quae per obliquum ductum & consequentiam ex eo elici & deduci poterant spectatum. Inter errorem, inquam, qui directe fidem violat, & qui indirecte. Error Petri directe & per se consideratus, non est in capite quodam doctrinae. Alias nec ipse Apostolus Christi, nec Scriptura ejus Apostolica & Canonica, multo minus fundamentum Ecclesiae esse posset, quod tamen de omni Scriptura Apostolorum & Prophetarum asseritur Eph. II. 20. sed in conversatione vitae. Non in ipso dogmate libertatis Christianae, sed in ejusdem libertatis vero & legitimo usu. Non in theoria fidei sed in applicatione doctrinae & praxi. Hinc Tertullianus lib. de Praescript. conversationis fuit vitium, non praedicationis. Noverat Petrus divina visione edoctus Actor. X. Legem Leviticam & consequenter discrimen ciborum mundorum & immundorum in N. T. esse sublatum, quin & ipse ita praedicaverat. Noverat licere cibum capere cum Christianis ex Ethnicis citra susceptam circumcisionem conversis, absque Levitici illius ciborum discriminis observatione, quod & ipse in aedibus Cornelii fecerat Actor. X. 10. seqq. & hoc factum suum contra alios, qui hoc nomine litem ei movebant, defenderat Actor. XI. 2. 3. seqq. quin imo paulo antequam venirent Judaei Hierosolymitani, cum conversis gentibus cibum sumserat, Paulo teste Gal. II. 11. Noverat